

blieè, privatimque ditans omnes, & honoribus augens, quos, vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum adificans, multas immunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum, placidumque agens, adeo ut in omni ejus ætate unus tantum Senator damnatus sit, atque is tamen per Senatum, ignorante Trajano. Ob hæc per orbem deo proximus nihil non venerationis meruit, & vivus, & mortuus. Inter alia dicta hoc ipse fertur egregium. Amicis enim culpantibus quod nimium circa omnes communis esset, respondit, talem se Imperatorem esse privatis, qualem sibi Imperatorem privatus (16) optasset. Hic ob honorem Suræ, cujus studio imperium arripuerat, lavacra condidit. De quo supervacaneum videtur cuncta velle nominatim promere, cum satis sit excutunt, atque emendatum dixisse. Fuit enim patiens laboris, studiosus optimi cujusque, ac bellicosus: magis simpliciora ingenia, quam eruditissimos (quum ipse parca esset scientia, moderatèque eloquens) diligebat. Justitia verò, ac juris humani, divinique, tam repertor novi, quam inveterati custos. Quæ omnia eò majora visebantur, quod per multos, atque atroces tyrannos perditio, atque prostrato statu Romano in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportunè datus, usque eò, ut adveniens imperium ejus pleraque mirifica denuntiaverint. In quibus præcipuum, cornicem è fastigio Capitolii Articiis sermonibus effatam, ἔσαι καλὸς. Hic in persequendis sanè Christianis errore deceptus, tertius à Nerone, cum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detrectantes interficere præcepisset, & plurimi interficerentur, Plinii Secundi, qui inter ceteros Judices, ut Tertullianus refert, persecutor datus erat, relatu admonitus est, eos homines nihil morte gerere dignum, nisi quod diis non immolarent, & Christum veluti Deum ante lucem surgentes laudarent, à malis omnibus abstinentes. Ad quem Trajanus rescribit, Christianos pro fide nullatenus inquirendos. Veruntamen continuo Romæ arca domus à Nerone totis privatis, publicisque rebus impensis condita, repente conflagravit incendio: ut intelligeretur missa etiam ab alio persequuto in ipsius potissimè monumentis, à quo primum exorta esset, atque in ipso auctore puniri. Terræmotu quatour urbes Asiæ subversa: Elæa, Myrina, Pitane, Cyme: & Græcæ civitates due, Opuntiorum, & Oriciorum. Tres Galatiæ civitates eodem terræmotu diruta. Pantheum Romæ à Domitiano constructum, fulmine concrematum est. Terræmotus in Antiochia penè totam subruit civitatem. Incredibili deinde motu sub uno tempore Judei quasi rabie efferati per diversas terrarum partes exarsere. Nam per totam Lybiam adversus incolas exarserunt, & atrocissima bella gesserunt: quæ adeo tunc interficere cultoribus desolata est, ut nisi postea Adrianus Imperator collectas undique colonias deduxisset, vacua penitus terrâ, abraço habitatore mansisset. Ægyptum verò totam, & Cyrenen, & Thebaidam oru nris seditionibus turbaverunt. In Alexandria tunc commisso prælio victi, & attriti sunt. In Mesopotamia quoque rebellantibus jussu Imperatoris bellum illatum est. Itaque multa millia eorum vasta cæde deleta sunt. Sanè Salaminam urbem

A Cypri, interfectis omnibus incolis deleverunt. Igitur Trajanus post ingentem gloriam belli, domique quæsitam, è Perfide rediens, apud Seleuciam Hauriæ profluvio ventris extinctus est. Obiit autem (17) ætatis anno sexagesimo tertio, & mense uno, die quarto: imperii nono decimo, mense sexto, die quintodecimo. Inter divos relatus est. (18) Hujus exusti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humatiquè in Trajani foro sub ejus columna, cujus altitudo centum quadraginta pedes habet: & imago superposita, sicut triumphantes solent, in urbem invelta, Senatu præeunte, & exercitu. Eo tempore multo pernitiosius, quam sub Nerva Tyberis inundavit, magna clade ædium proximarum: & terræmotus gravis per provincias multas, atroxque pestilentia, famæque, & incendia facta sunt. Quibus omnibus Trajanus per exquisita remedia multipliciter opitulatus est, statuens, ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, & sumptus, si quando talia contigerint, exitiosos. Unde merito pater patriæ dictus est. Hujus tantum memoria delatum est, ut usque ad nostram ætatem (19) non aliter in Senatu principibus acclamaretur, nisi, Felicior Augusto, melior Trajano. Adeo in eò gloria bonitatis obtinuit, ut vel assentantibus, vel verè laudantibus occasione magnificèntissimi præstet exempli. (20)

ADRIANUS.

Anno ab Urbe condita DCCCLXVII. Ælius C Adrianus stirpis Italiæ ex Hispania, Ælio Adriano Trajani principis, consobrino Adriæ orto genitus, quod oppidum agri Piceni, etiam mari Adriatico cognomen dedit, quartus decimus ab Augusto Imperator est creatus. Hic sine aliqua voluntate Trajani imperator est factus, operam dante tamen Plotina uxore Trajani. Nam eum Trajanus, quamquam consobrini sui (21) filium, vivus noluerat adoptare. (22) Qui Trajani gloriæ invidens, statim provincias tres abstulit, (23) quas Trajanus addiderat: id est, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, revocavit exercitus, ac finem imperii esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conantem amici terruerunt, ne Romani cives multi (24) traderentur: propterea quia Trajanus, victâ Daciâ ex toto orbe Romano infinitas eò copias transfulerat, ad agros, & urbes colendas. Daciæ enim diuturno bello Decibali (25) vires fuerant exhaustæ, pacem tamen omni sui imperii tempore habuit. Semel tantum per præsidem cum Sauromatibus dimicavit, & vicit. Orbem Romanum circumivit, multa edificavit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem virum fide, sapientiaque plenum, & per Serenum Granium legatum libris de Christiana religione compositis instructus, atque eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum Proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis, aut probatione damnare, idemque continuo pater patriæ in Senatu ultra morem majorum appellatur, & uxor ejus Augusta. Textus autem epistolæ hic est: Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Serenio Germano (26) clarissimo viro, & non placet mihi relationem silentio præterire, ne & innocui perturbentur, & calumniatoribus latrocinaudi oc-

lus Diac. MS. H., & Miscella retinuit. Canif.

(16) A. quales esse sibi Imperatores privatus optasset. Post ingentem &c.
 (17) Eutrop. obiit autem ætatis anno LXII. mense IX. & die quarto inter divos relatus est. H. obiit autem ætatis anno LXIII. mense Junio die IV. Imp. XIX. mense sexto, die XV. inter divos relatus est.
 (18) A. relatus est. Solutus omnium intra Urbem sepultus est. Osa collata in urnam auream in foro, quod edificavit, sub columna posita sunt, cujus &c.
 (19) Ad nostram ætatem. Sunt verba Eutropii, quæ & Pau-

(20) A. exempli. Defuncto Trajano Ælius Hadrianus creatus est princeps sine aliqua quidem voluntate Trajani, sed operam &c.
 (21) Spartianus. Eut. Hersfel., & Amb. consobrini sue &c.
 (22) A. natus & ipse Italiæ in Hispania.
 (23) A. reliquit.
 (24) A. multi barbaris tradentur.
 (25) A. pro Decibali, habet cæcili res.
 (26) Aliter Gramano. Vide Zonaram.